



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1658**

§. 6. Quia Iesus frequenter convenerat at illuc cum discipulis suis. v. 2.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45556**

ut veniens Dominus, dilectus meus, in hortum suum inveniat & comedat fructum pomorum pacis Sit pax Hispanos inter & Gallos, Lusitanos & Castellanos, tollatur discrimen nationum non sit in Ecclesia ego Cepha, ego Apollo, ego Pauli &c. comportent se omnes ordines religiosi, clerici, secularis regularem, & regularis saecularem ne spernat, fiat pax in virtute tua Iesu.

§. 5. Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum, v. 2.

Ne Christi Domini egressus ab urbe videretur esse species occultantis se & subducentis contra prodicionem diserte addit per egressionem illam non fuisse impeditam prodicione quoniam proditori illud diversorium Domini erat notissimum ex consuetudine crebra Domini.

**O** Sancte Dei historice Luca, tu certe insignis es medicus non tam corporum quam animorum; nam praevidens periculum discipulandi de quaestione, quomodo Christum nocte ex urbe digressum potuerit audax Dux sceleratorum reperire, causam das & imponis emplastrum vulnere nostro, nempe locum illum probe notum fuisse Iudae. Gratias ago tibi praevide scriptor.

§. 6. Quia Iesus frequenter convenerat illuc cum discipulis suis, v. 2.

Etiam causam ex qua proditor locum illum Dominicae mansionis novisset, indicat, dicens quod intrare solebat hunc hortum cum discipulis ad orandum, post labores, post conciones, post diem Hierosolymae exactum. Unde bene intelligo Christum Dominum revera magnas saepe adversitates & inopiam acerbam tolerasse. an non enim magna molestia est fatigatum diurnis actibus noctem in aliquo horto suburbano, qui omni re culinaria destitutus erat, diversari sub Iove frigido? si itaque magister ita panperimè vixit quomodo non & discipulos pauperem vitam duxisse est putandum? Verè Dominus noster Iesus Christus Apostolicae paupertatis fundator nuncupatur, quam ita ipso exemplo stabilivit & suos discipulos adeo exercendo assuefecit, & tamen illi ipsi in caena interrogati apud S. Lucam, an aliquid eis aliquando defuisset, dicebant candidè: non possūmus etiam considerare in eo quod Dominus cum discipulis frequenter eo convenerat Dominum in suburbano loco scholam quandam vel academiam ad modum Philosophorum Athenis constituisse, ubi liberae strepitu civitatis philosophari possent cum ijs qui ad audiendos eos venirent.

Quis

Quis ergo erit, qui minus necessarium sibi existimet certa habere & orandi & agendi & loca & tempora? cum id ne Dominus quidem neglexerit; cui tamen nihil horum necessarium erat. Loca enim eligimus ne rerum variarum imaginibus occurrentibus, aut hominum interventione turberemur. Tempora designamus, tum ut apertiora hæc quoque nanciscamur, tum ne nobis inter varias occupationes dies effugiat, priusquam orationi vacemus, nam & in mediis turbis, imo & in summis cruciatibus Deo conjunctissimum animum habebat & non egebat monitore, quo commonefieret, ne dies prius elaberetur quam patrem orasset, cum ipse & pater unum essent, non modo vna divinitatis essentia, sed etiam mentis ac voluntatis humanæ cum eo conjunctione perpetua: quod igitur certū habuit orandi tempus ac locum id procul dubio nostra causa factum est. Nihil enim ita necessarium vitæ bene instituendæ est, atque oratio. Nihil orationi magis quam loci, ac temporis constitutio. David septies in die laudem dicere consueverat, Petrus & Ioannes. ascendebant ad templum ad horam orationis nonam, Christus monet: Cum oraveris intra in cubiculum tuum & clauso ostio ora patrem tuum. Vagæ illius & erraticæ orationis vix ulla utilitas & profectus est, quemadmodum sævæ valetudini ac vitæ malè conluleret, qui incertis temporibus ac fortuito cibum caperet: ita multo magis qui eadem negligentia hunc animæ cibum sumit. Fatebatur David percussus sum ut fœnum & aruit cor meum quia oblitus sum comedere panem meum: panis procul dubio quotidianus supersubstantialis, oratio est, eo pane cor hominis confirmatur, eum certo loco ac tempore quotidie sumat, qui Deo vivere curat, quotidie dicimus. *Et ne nos inducas in tentationem.* Christus autem nobis respondet; *Orate ne intretis in tentationem.* Si negligis orare, quid mirum si tentaris & vinceris? Quid mirum autem si negligis orare, cum nullum ad id certum habeas tempus ac locum? quod loco aut tempore caret, id nusquam vel nunquam esse affirmare solemus. Affiduum igitur oportet esse te, semperque certo loco ac tempore precibus vacare, ut ea re, quantum potes, te confirmes.

**B**enignissime Deus, tu me rege semper ac posside, ut preces & actiones ordinem bene, atque debite ac devote persolvam, ad nominis tui gloriam & ad meam totiusque populi Christiani salutem. Amen.

§. 7. *Iudas ergo cum accepisset cohortem. v. 3.*

Cum congregatis Principibus Sacerdotum, & Senioribus populis, precedenti die, feria scilicet quarta, in concilio suo de Iesu per dolum tenendo

A 3

nendo